



010-18 20
FRIDERICI HOFFMANNI
COLLEGII MEDICI SENIORIS ET DECANI

PROPEMPTICON INAVGVRALE

DE
M E D I C I N A

AB
**OMNI HYPOTHESE
VINDICANDA.**

FRIDERICI HOFFMANNI
COLLEGI MEDICI SENIENSIS ET DECANI

PROPEMPTICON IN AGRICOLA

DE

MEDICINA

AB

OMNI HYPOTHESI
VINDICANDA





Vemadmodum verita-

tis luce menti humanae nihil dulcius, nihil exoptabilius potest accidere: ita sane dolendum est, paucos admodum esse inter homines etiam eruditos, qui hac luce fruuntur, ac de ea in sinu gaude-

ant. Ea enim est omnium fere disciplinarum conditio, ut earum interiora altius inspicienti plures sese offerant opiniones ac figmenta, quam certae & indubiae veritates. Quod satis abundeque mihi testari videntur crebra illa doctorum diffidia, & acerrimae, quibus artium professores inter se inuicem contendunt, velitationes, quae quemadmodum cum veritate, quae simplex, atque vnica est, quae hominum mentes conuincit, & amicabili concordia copulat, possint consistere, ego quidem plane non video. Idem vero fatum nobilissimam artem, quae aegris salutem promittit, iam inde ab eius ortu & incunabilis ad nostram vsque aetatem expertam

fuis-

):(2

fuisse, maiorum in modum dolemus & mirifice angimur, eam maxime ob rationem, quoniam vita ac sanitas merito rebus generi humano desideratissimis, & quae omne pretium excedunt, annumeranda est. Pudet enim ac piget dicere, ob veritatis in rebus medicis ignorantem non modo multas & inconstantissimas esse hac in arte opiniones, sed infinitas etiam inter medicos, qui theoriae & praxi vacant, vigere dissensiones, quae partim in eorum monumentis, partim etiam in colloquiis, ad lectum aegrotantium institutis, subinde conspiciuntur. Rarissime enim inter se conveniunt in morbo, quo aeger laborat, designando, in explorandis eius causis, in adhibenda medendi ratione, in seligendis denique remediis. Nam quid solennius aut frequentius accidit, quam quod vnus alterum erroris, culpa ac damni aegro in curatione illati arguat & criminetur? Quae dissidia profecto vnice ex eo proueniunt, quod remota etiam maleuolentia & praua nocendi cupiditate eorum sententiae ac iudicia non adeo firmis demonstrationum neruis fulciuntur, sed pro sua quisque doctrina, quam primis sub annis ex ore magistri hausit & imbibit, vel pro suo arbitrio & licentia ipse commentus est, alia atque alia medicinae principia, morborum causas & remedium vires sibi fingit ac fabricat. Atque hinc factum est, vt non prudentibus modo rerum medicarum fides valde dubia & sublesta esse coeperit, sed vulgus etiam de certitudine artis dubitet, quod iam suo tempore notauit Hippocrates, dum *Libr. de Victu acutor. §. 4.* hunc in modum scribit: *calumniam incurrit tota ars apud vulgus adeo magnam, vt neque omnino*

-211

s) (

mnino

minimo medicinam esse putet; nam in acutis morbis in-
tantum inter se differunt, artifices, ut quae alter ex-
hibet optima esse putans, ea alter iam malam esse ex-
istimet: & fere ob id artem variacioni similem esse dixerint.
Quamdiu itaque ut sententiam nostram aperte expona-
mus, è medicorum scholis non proferuntur opinio-
nes atque hypotheses, quae nihil aliud sunt, quam ficta
quaedam principia, quibusdam tantummodo non vero
omnibus phaenomenis explicandis idonea, tamdiu et-
iam dissensiones, dissidia, similtates ac discordiae non
exspirabunt, quae tamen omnia veritatis luce, intelle-
ctum conuincente & illuminante, vno quasi ictu feli-
cissime discutiuntur. Tam magna enim, ut verbis Ci-
ceronis utar, vis est veritatis, ut non modo se per se-
ipsam contra aduersarios defendat, sed errorum quoque
tenebras dissipet & opinionum commenta deleat, ani-
mosque doctorum amicissima concordia coniungat.
Nam ex iis disciplinis, vbi veritates regnant apertae,
ut videre licet in mathematicis, discordiae doctorum
exulant, quippe quae in iis maxime disciplinis domi-
nantur, vbi felix est & vber opinionum proventus, ste-
rilis autem atque exigua messis veritatum. Vehemen-
ter igitur optandum & omni cura eo enitendum esse ar-
bitror, ut salutifera ac fere divina nostra ars, quae tan-
tum emolumenti affert mortalibus, tandem aliquando
ab incertis opinionibus, sterilibus ac temerariis fictio-
nibus & commentis purgetur; ita enim fore speramus,
ut ad maiora incrementa cum summa mortalium utilita-
te evehatur, & omnes perniciosae contentiones, quae
saepenumero in acerbis similtates & odia exardescunt,

felicissime componantur. At vero, qua ratione id praestari debeat, & qua via sit incedendum, dictu admodum difficile videtur. Liceat tamen nobis, quam hac de re fouemus sententiam, explanatius hoc loco proponere. Primo de omnibus dogmatibus, quae animis nostris inhaerent, prudenter dubitandum est, quum recte dubitatio omnis sapientiae & antiquissimum & verissimum sit principium. Quamobrem deponenda sunt omnia, ut vulgo vocantur, praecudicia autoritatis, quae ob auctores, quorum iudicia extra omnem dubitationis alicam posita arbitramur, animo concepimus, & quorum sententias velut ex tripode prolatas adoramus & pressius sequimur. Tollenda quoque sunt omnia sic dicta praecipitantis praecudicia, quando nimirum nimis propere ante recte institutum rerum examen opinionones in animum admisimus, quas meliori edoctus deferere nemo sibi dedecori ducat. Veritas enim nullis patet affectibus, sed vacua est ab omni odio, invidia, fastu & proprio commodo, quod plures maxime affligit & male habet. Remotis igitur hisce impedimentis, eo allaborandum est, ut res intellectus siue notiones claras ac distinctas a rebus phantasiae, seu notionibus confusis & minus perspicuis fecernere ac disiungere addiscamus, quod quidem paucissimi eruditorum, nisi primis sub annis mathematicis disciplinis operam dederint, praestare solent. Quemadmodum enim omnis veritas ex intellectu puro proficiscitur: ita omnis error, omnis opinio phantasiae foetus est. Ea vero est veritatis indoles atque natura, ut res vel mutationes, quae rebus a causis
suis

fuis inducuntur, claris & distinctis notionibus & conceptibus sub certo tamen ordine & nexu repraesentet. Et quidem si res facti cum suis circumstantiis debito ordine proponit, veritas dicitur historica. Si vero clarissime sub debito ordine & nexu mutationum causas exhibet, scientia vocatur. Si demum ex cognitis jam veritatibus incognitae debita facta illatione & comparatione deteguntur, inuentio dicitur, ad quam pauci ex doctis perueniunt. Atque illi demum de acquisita veritate in finu gaudere possunt, qui hac ipsa noua inuenire & aliorum errores detegere valent; nam fructus veritatis est inuentio. Inter notas quoque veritatis hae ponendae sunt praecipue, quod mentes conuincere & ad assensum, nisi pertinaciter resistent, perducere, nihilque dubitationis relinquere debeat, deinde vt ex veritatibus cognitis alias incognitas detegere possimus, quibus notis si careant doctrinae, certissime de earum veritate dubitandum est. Ad veritates vero intelligendas easque promouendas nihil conuenientius & commodius est, quam habere in promptu veras rerum definitiones, quae earum naturam proprietates apte & distincte proponunt: in promptu quoque habere oportet axiomata siue generales regulas, quae negari non possunt & demum rerum accuratas obseruationes & theoremata siue conclusiones ex veris propositionibus elicitas; haec omnium veritatum & inuentionum sunt principia. Et quemadmodum mathematici hac methodo in veritatibus detegendis vtuntur: ita etiam haec ipsa in omnibus disciplinis commendanda & curae cordique habenda est. Si igitur medicina ab omni dubitatione, opinione & fictione liberanda est, nihil admittere

tere

tere debet medicus, quod non clare per syllogisticam
connexionem possit demonstrari, ubi propositiones ex
veris definitionibus, axiomatibus & theorematibus for-
mari debent. In horum itaque copia acquirenda vnice
occupatus esse debet veritatis amans & cupidus & maxi-
me medicus. Praefari haec placuit dissertationi inau-
gurali, de **PRAEPARATIONE AD LECTIO-
NEM VETERVM MEDICINAE AVCTO-
RVM**, quam

NOBILISSIMVS AC **DOCTISSIMVS**
DN. GVILIELMVS IVCH,
ERFFVRTENSIS,
MEDICINAE CANDIDATVS DIGNISSIMVS,
PHILOSOPHIAE MAGISTER,
ET
FACVLTATIS PHILOSOPHICAE IENENSIS
ADIVNCTVS MERITISSIMVS,

publico eruditorum examini pro Gradu Docto-
ris propediem submittere constituit. Hic ortum ac
natales suos refert ad antiquissimum & praeclare illud
IVCHIORVM genus, e quibus fama adhuc su-
perstes est ipsius Auus, piae memoriae, **D. PAVLVS**
IVCH, potentissimi quondam Suecorum Regis, Ca-
roli Gustavi, medicus primum castrensis, postea Ar-
chiater Moguntinus, & Practicus per plures Germa-
niae partes famigeratissimus, cuius memoria etiamnum
illibata Erfurti floret. Natus enim est Candidatus no-
ster dignissimus Erfurti, in amplissima illa Thuringiae
me-

metropoli, sede musarum antiquissima, anno millesimo sexcentesimo octogesimo nono, mense Augusto, die decimo octauo, Patre Viro Illustri atque Excell. PAVLO HENR. IVCH, philosophiae & medicinae Doctore, ante hac Reuerendissimorum ciuitatis ac territorii Erfurtenfis Pro-principum, L. BARONIS WALPOD de BASSENHEIM, ac L. BARONIS FAVST de STROMBERG, nec non illustrissimi S. R. I. COMITIS de BOINEBURG; atque generosissimorum Ducum, Gubernatorumque castellorum Erfurtenfium L. BARONIS de MORTAGINE, & L. BARONIS de BIEBRA, medico ordinario: iam vero Eminentissimi & Serenissimi Principis LOTHARII FRANCISCI, Electoris Moguntini, Archiatro & Physico ciuitatis Erfurtenfis primario longe famigeratissimo & Seniore venerando. Mater fuit BARBARA HEITMANNIA, HERMANNI HEITMANNI Senatoris & praetoris militaris Electoralis in vrbe, filia, matrona omnibus virtutibus ornatissima, iamque coelitis adscripta. Post instillata pietatis & litterarum elementa, exploratamque indolem: quum & pronam in studia & doctrinae capacem Excellentissimus Parens eius deprehenderet, nihil antiquius habuit, quam vt nostrum domesticae eruditorum hominum disciplinae fideique qua ingenium, qua mores, daret excolendum. Ausis hinc indies & docentium operam singulariter commendantibus, discantis profectibus, vt haberet etiam, quorum aemulatione acrius incenderetur, & magis
):(:(ac

ac magis publicam ferre lucem adfuesceret, in collegia Magistrorum & Professorum eum mittebat. Hinc Maxime Reverend. MAVRVM STV-ARTVM, Scoto - Benedictinum, S. Theol. Doctorem, & tunc temporis Professore philosophiae publicum multo celeberrimum, totam philosophiam scholasticam tradentem sectatus est, atque Excell. VOLCMARVM GVILIELMVM STENGERVM, Professore publicum, almaeque Geranae ornamentum, Puffendorffianum de officio hominis & ciuis libellum, ceterasque philosophiae partes dextre explicantem, sedulo audiuit. Neque inutiliter opera clarissimi philosophiae Magistri ac Pastoris Eluershouiensium usus fuit, eoque praeside anno 1704. *Dissertationem de Logicae Utilitate* in auditorio philosophico publice ventilauit. Maturo altioribus academiae studiis placuit nostro, prae reliquis, Iena, in qua magnus Doctorem se ei obtulit numerus, quorum in omni scientiarum genere frueretur institutione. Sive enim philosophica, siue historica cuperet, aut ea, quae humaniorum litterarum ambitu comprehenduntur, praesto erant. In hanc autem se contulit anno 1706. falces rectorales tunc tenente Magnif. HAMBERGERO nunc beato, a quo albo academico insertus fuit. Ibi inprimis sibi arrisit doctrina Viri non minori applausu, quam fructu tum temporis profidentis. D. IOAN.

PHI.

PHILIP. TREVNERI, iam Serenissimo-
rum Saxo - Vinariensium Ducum Consilarii ec-
clesiastici, Concionatoris Aulae supremi, ac Su-
perintendentis Generalis: & B. Doctoris IOAN.
IAC. MVLLERI, moralium & politices pro-
fessoris publici, sub quorum informatione in logi-
cis, metaphysicis, ethicis, politicis & phycis
multum se profecisse grato agnoscit animo, ac
saepissime amplioribus verbis nobis testatus fuit.
Et cum praeclare intelligeret, ad altiores discipli-
nas plenius & exactius cognoscendas, multum con-
ferre matheleos studium, ideo quam diligentissi-
me audiuit B. HAMBERGERI doctissimas
in Sturmii tabulas mathematicas, & Cellarii Geo-
graphiam commentationes. Eloquentiae autem
praecepta & iuris naturalis principia hausit a Viris
celebratissimis: B. IOAN. CASPARO POS-
NERO, Professore publico, GEORGIO
NICOLAO KRIEGKIO, & IOANNE
HENRICO ACKERO. Linguarum ori-
entalium cognitionem in acceptis refert Philolo-
gis insignibus, IOANNI ANDREAE
DANZIO, CHRISTIANO STO-
CKIO, & B. HASSENMVLLER-
RO. In historicis, arte heraldica, re num-
maria & litteraria sectatus fuit Excellent. BVR-
CHARDVM GOTTHELF STRV-
VIVM, eiusque fidelitatem probe expertus,
sed notitiam statuum Imperii Romano - Germa-
nici



nici ad ductum Schwederi & Cocceii debet praeclectionibus Illustris CHRISTIANI WILD-VOGELII, Consilarii Saxo-Ilnacensis intimi, & Excellentissimi BIRCKNERI, Viri in omni litterarum scientia versatissimi. Et sic cursum philosophicum absoluit frequentatis non tantum scholis philosophorum, & philologorum ac historicorum, doctrina & meritis insignium, sed & institutis priuatarum publicarumque dissertationum exercitiis, praecipue *dissertatione* anno 1707. *de imputatione morali* sub praesidio laudati IOANNIS IACOBI MVLLERI habita & proprio studio elaborata, publiceque defensa. Quibus peractis eodem anno sub eloquentiae Professore POSNERO, tum temporis promotore, honores magisteriales, annuente inclito Philosophorum ordine, impetrauit & primum inter eos, qui ad eandem laurum aspirabant, locum obtinuit. Priusquam vero salutaris scientiae studio se plenius adidit, e re sua putauit, Theologorum subsellia adire, quaeque futuro medico haud parum seruire possint, addiscere. Etenim semper in ea fuit sententia, non posse quempiam vere eruditi nomen tueri, nisi qui & doctrinae suae, quam profitetur, fundamenta, & adfinitate quadam coniuncta quoque studia familiaria sibi reddiderit. Perspecta igitur egregia theologiae utilitate, quam ipsa Medicinae praestat studio, selegit Doctores & Theologos consummatissimos: MICHAEL
LEM

LEM FOERTSCHIVM, Professore
 theologiae primarium, a quo theologia
 theticam & polemicam, contra hodiernos
 Fanaticos directam, hausit: **IOANNEM FRAN-**
CISCVM BVDDEVM, huius saeculi po-
 lyhistorum summum & subacti ingenii theologum,
 a quo historiae ecclesiasticae & theologiae mora-
 lis cognitionem consequutus fuit, eundemque
 theologiam criticam, ad calamum priuatissime tra-
 dentem, & theologiam moralem ac thetico-
 polemicam solidissime docentem, maxima cum
 attentione, animique delectatione audiuit. Qui-
 bus subiunxit Adfinem suum **IESAIAM FRI-**
DERICVM WEISSENBORNIVM,
 Professore theologiae publicum doctrina pariter
 meritisque ac fama amplissimum, Serenissimi Insa-
 censium Ducis Consiliarium ecclesiasticum & con-
 sistorialem atque Antistitem venerandum, a cuius
 vberibus in excolendo philosophiae & theologiae
 studio non sine emolumento pependit. Delibatis
 vero sanctioris theologiae doctrinis, scientiae fa-
 lutari se totum dedit, sibi que impense gratulatus
 fuit, quod Illustrem **GEORGIVM WOLF-**
GANGVM WEDELIVM, palmarias Me-
 dicinae partes mira perspicuitate exponentem, au-
 scultare sibi licuerit. Frequentavit quoque scholas
 anatomicas florentissimi Medici ac Professoris **IO-**
ANNIS HADRIANI SLEVOGTII, e-
 iusque sectioni cadaveris masculini & foemini in-
) () 3 ter-




terfuit. Haec dum gerebantur, facultatē docendi, praefidisque partes suscipiendi fauentissime concessa, varia in variis philosophiae partibus collegia iuuentuti studiosae aperuit, ac superiorem cathedram non sine adplausu adscendit, ventilatis partim *de variis modis probandi innocentiam apud veteres*, partim *de poenitentia philosophica dissertationibus*. Quo singulari de studiosa iuuentute optime merendi studio inductus Philosophorum senatus & eum in ordinem Adiunctorum suorum beneuole cooptauit, eique indulgit, vt *solemni dissertatione 1712. de amore sui ipsius & proximi* locum in facultate philosophica rite ac maiorum more acquireret. Postquam vero amplissimam hancce spartam pro virili ornavit, collegiis pariter ac exercitationibus continuatis, de consilio Excellentissimi PARENTIS sui ad academiam patriam tanto libentius rediit, quanto maiori ardebat desiderio, sublimi laudati sui Parentis doctrina, luculentissimis tot annorum experimentis confirmata, animum pascendi, omnemque in curandis aegris rationem penitus perspiciendi. Tanta autem fide, tanta solertia in cunctis Medicinae partibus declarandis & praxi prouide instituenda ita eum instruxit laudatissimus Prens, vt optatissimos in Medicinae cultu fecerit profectus, viresque in alleuandis aegris feliciter periclitatus fuerit. Praecipue autem tam exercitato & fido magistro vsus, extractionem foetus mortui saepius vidit, quam is in fatis longa annorum septem & quadra-


draginta praxi plus quam centies sua manu & absque
chirurgi ministerio tam feliciter peregit, vt num-
quam ad alium medicum in tali casu periclitantes
confugere opus habuerint. Conuersatione quo-
que perutili delectatus fuit mirifice Excell. & Expe-
rientissimi **GVSTAVI PROSP. IVCH,**
Medicinae Doctoris & Medici Provincialis Ducalis
Saxo-Vinariensis & Rudelstadiensis meritiſſimi at-
que Practici Francohusae felicissimi, patruelis sui
honoratiſſimi, cuius beneuolentiam & in praxi cari-
dorem exhibitum numquam satis laudare potest.
Nec dubitauit Experientissimi fratris sui **HER-**
MANNI PAULI IVCH, Medicinae Do-
ctoris ac Professoris publici celeberrimi, ejusdem-
que Facultatis Adſeſſoris grauiſſimi, lectionibus
interesse tam chymico-pharmaceuticis, quam ana-
tomicis, cuius secandi & demonstrandi insignem
peritiam, in cadauere generis masculini publice o-
stentam, magno cum fructu contemplatus fuit.
His igitur instructus praesidiis, quum in animo ha-
beret Summos in arte nostra honores capescere,
huc accedens non modo Facultatem nostram mo-
deste rogauit, vt ad consueta examina admit-
teretur, sed etiam, postquam se talem Vi-
rum in illis praestitit, qualem nobis ex haecenus
commemorata solertia promissimus, & quem tantis
honoribus maxime dignum declaramus, licentiam,
profectus suos laudatissimos publica & solenni disser-
tatione omnibus ac singulis probandi, decenter expe-
tuit. Cuius honestissimis desiderijs non potuit non Fa-
cultas

cultas nostra annuere, & quum huic actui dies
Septembris sit destinatus, Magnificum DN. PRO-
RECTOREM, Illustrissimos COMITES,
vtriusque SENATVS PATRES. CONSCRI-
PTOS, omnes denique Academiae CIVES
& LITTERARVM FAVTORES, vt fre-
quenter confluant, & solennem hunc actum sua
praesentia reddant illustriorem, ea, qua decet, hu-
manitate rogatos & inuitatos volo. Sub sigillo Fa-
cultatis P. P. Halae Magdeb. Mense Augusto
M D C C X I X.
















Ma 1683

ULB Halle 3
004 582 233




f


5b.

Rest. / Schms

Jan. 26







FRIDERICI HOFFMANNI
COLLEGII MEDICI SENIORIS ET DECANI
PROEPTICON INAVGVRALE
DE
MEDICINA
AB
OMNI HYPOTHESES
VINDICANDA.

